

ram totam evertit; quippe cum nihil, quod ad naturæ integritatem spectat, antè quàm tota pereat natura, perire potest. Et quemadmodum Specierum nulla interiit; ita de novo oritur nulla, nec earum aliqua imperfecta dicenda est.

VI.

Dari aquas supracœlestes, cœlum undiq; ambientes, veras ac naturales aquas, subcœlestibus homogeneas, ac propter certum finem factas, sensu quidem & ratione demonstrari nequit; ex Scripturâ tamen quòd sint, & quid sint, satis intelligimus. Fusius de hâc re lege B.D. Meisn. in Phil. Sob. sect. 3. quæst. 3.

VII.

Cœlum corpus simplex est, constans materia simplici & formâ, cujus Affectiones sunt: Quantitas egregia, subtilitas, perspicuitas, invisibilitas, immobilitas incorruptibilitas, & occulta influenza, Contra Zabarell. de nat. cœl. c. 2. & alios.

VIII.

Solem in ortu, Festo Paschatos, tripudiare, experientia rustica est & fallax; sæpius enim contrarium evenit, ut tale tripudium in festo Paschatos non animadvertatur. Imò aliis temporibus & autumnalibus diebus Sol subsilire videtur. E. Festum Paschatos toties erit, quoties Sol videtur tripudiare. Rectissime!

IX.

Elementa corpora esse simplicia, à Deo in primâ mundi creatione producta, sub cœlo contenta, & ad integritatem mundi atque mistorum constitutionem facientia, ut certum supponimus: ea autem pura in mundo existere, vel prout in mundo sunt, mista esse, vel etiam inter se transmutari posse, in totum negamus. Contra Aristotelicos.

X.

Habent suas etiam Qualitates Elementa, & accidentia à formis emanantia, & actionibus ac passionibus inservientia levitatem nempe & gravitatem, subtilitatem & crassitiem, caliditatem, frigiditatem, humiditatem & siccitatem. Illæ autem non sunt formæ ipsæ, sed

à formis. Vid. Inst. Sperl. l. 4. q. 1. 2. 3.

